



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicvs cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

Dubium Primum. An secundùm S. Augustinum primi homines fuerint creati
in ætate perfecta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320

DISSE RTATIO PRIMA

De Primorum hominum creatione &
innocentiæ statu.

DUBIUM PRIMUM.

*An secundum S. Augustinum Primi homines
fuerint creati in ætate perfecta?*

Suppono primò, Adam fuisse à Deo productum sexto die creationis mundi, formato corpore ejus de limo terræ. hoc enim clarè constat ex S. Scriptura, quæ Gen. 2. dicit: *formavit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vite, & postquam cap. 1. narratum esset: creavit Deus hominem ad imaginem suam, sequitur in fine cap. 2. & factum est vespere & mane dies sextus. dicitur autem Gen. 2. Deum die Septimo complevisse opus suum, quia die Septimo quievit, & cessavit, ab operibus quæ perfecerat die Sexto; præcedunt enim verba hæc: *perfecti sunt cali & terra & omnis ornatu eorum, complevitque &c.**

Suppono secundo, quod ex costa corporis Adæ eodem die in Paradiso fuerit producta Eva. dicitur enim Genes. 2. *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et edificavit Dominus*

A

Deus

I Dubium Primum

Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem &c.
& cap. 1. dicitur: creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & foeminam creavit eos, & factum est vespere & mane dies sextus. Hinc Sanct. Augustinus ait lib. de Gen. ad litt. cap. 5. neque enim dicendum est, masculum quidem sexto die factum, foeminam vero posterioribus diebus, cum ipso sexto die apertissime dictum sit, masculum & foeminam fecit eos, quando autem S. Thomas 1. p. quæst. 73. a. 1. ad 3. dicit. ad tertium dicendum quod nihil postmodum, id est post septimum diem, factum est totaliter novum, quin aliquantulum in operibus sex dierum præcesserit. Quadam præextiterunt materialiter: sicut quod Deus de costa Adæ formavit mulierem, vult tantum S. Doctor, quod aliqua post diem septimum condita præextiterint in operibus sex dierum eo modo, quo præextitit mulier in costa Adæ, antequam personaliter produceretur, scilicet materialiter. Quod fuerit producta in paradiso, colligitur ex hoc, quod sopor fuerit Adæ immissus post translationem in Paradisum, & ipse translatus inde non discesserit ante prævaricationem.

Suppono tertio mulierem fuisse productam ex costa, sicut littera sonat, juxta illud Sanct. Augustini l. 9. de gen. ad litt. cap. 13. non est itaque dubitandum quoniam hæc facta sunt & stulta esse non possunt. Neque ex hoc sequitur, Adam fuisse habita costa monstruosum; licet enim illi fuerit superaddita, non tamen illi, ut erat principium speciei, erat superflua, sed servitura pro Evæ, quæ generari non poterat, productione, & exterius non apparebat: neque sequitur, ea sublata fuisse
im per-